

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

12. Spiritus Tartari erudi Guidonis

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

mus creavit tres mineras. Inter mineralia est una, scilicet Solis & Lunæ, inter Vegetabilia est Vitis, inter animalia est Apis. pag. 222. *Elucid.* Lullius de his tribus ita, *Cap. 46. Libri Mercurior.* Inter omnia Mineralia, Vegetabilia & Animalia fixum aurum electum est pro Medicinis conficiendis. Et super omnes virtutes inter Vegetabilia & Animalia sunt virtutes succi vel Juscula Lunariæ, & Musca besana, quæ mel componit.

Parisius in Alphabeto apertoriali eandem quidem habet Spiritus Vini acuitionem, at cum ibidem Menstruo superaddat Sal mellis ex capite mortuo calcinato extractum, hæc acuitio non ad hoc, sed ad aliud refertur genus.

Verum-enim-verò licet Mel speciali hoc privilegio gaudeat quasi ex eo tantum hujus tertii generis menstrua confici possint; sciendum tamen est Salia Oleosa omnia, (uti sunt saccharum Cristallisatum, manna Christallisata. Tartarus Crudus Vini vulgi, &c.) ab uno latere suam cum Oleosis, ab altero verò cum aridis probare affinitatem; adeoque Oleositate istà suà in Oleosum Vini Phil. Spiritum introducere propriam ariditatem; ariditate verò suà illius Spiritus temperare oleositatem. Quamobrem de Melle quæ dicta fuerunt, eadem de Saccharo & Manna intelligenda veniunt. De Tartaro Crudo prædictis aridiorè exemplum unum & alterum addemus.

12. Spiritus Tartari Crudi Guidonis, pag. 51. *Thesaur.*

Re. **T**artari Crudi libras duas, Spiritus Vini libras tres, destilla & cohoba decies desuper proprium caput mortuum.

Paracelsus hunc Tartari Spiritum hoc modo præparavit:

13. Spiritus Tartari Crudi Paracelsi.
Libr.8. Paragraph. p.505.

Rc. **T** Artarum Crudum, contunde, & in Alcool Vini septies vel octies digere & destilla in humorem liquidum, in quo nullum Alkali est.

Ex Receptis sequentia observamus.

1. Spiritum Vini Phil. absque acuitione nullam in aridis dissolvendi potentiam habere.
2. Acuitionem hanc esse *Mysterium Artis*, difficile & tædiosum.
3. Fieri optimè cum Melle Crudo, Saccharo candi Albo, Manna purificata.
4. Ex Tartaro Crudo difficilisculè hujusmodi consciuntur menstrua.
5. Quòd Lullius per Aquam Vitæ: Parisinus per Spiritum Cœlestem & ardentem: Guido per Spiritum Vini: & Paracelsus per Alcool Vini, non cõmmunem Aquam ardentem intellexerint, propria Experientia, tentando Experimentum cum Spiritu Vini communis, de rei veritate testabitur.
6. Menstrua hujus generis esse *Magisterium Mellis, Mannæ, Sacchari, Tartari Crudi cum Vini Phil. Spiritu commixtum*. Fiunt ex tempore, hoc modo: Rc. Essentiæ Vini Phil. & Magisterii Mellis vel Sacchari ana partes æquales, misce.*
7. Menstrua hæc esse medicamina.
8. Non solum Vini Phil. Spiritum circulasse: Sed ipsa etiam menstrua; ob quam circulationem Menstrua dicuntur *Circulata*. Quæ etiamsi ut circulentur, non semper expresse dicatur in Receptis, hoc tamen in omnibus subintelligi debet. Nam Circulatio hæc menstrui purificatio & melioratio est. Per F intelligimus, inquit Parisinus in *Alphabeto Summettæ pag. mei M. S.* Aquam Vitæ Circulatam 30. diebus ad minimum; in qua operatione purificatur ab ejus terrestreitate, ita ut seipsam redigat in virtutem